



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

ANNOT. IOANNIS POMERANI
CAPVT II.

HAbes hic formam uere ministri euangelici, imitatoris illius pastoris Christi, qui se describit Ioan. 10. Paulus ante male afflictus, non cessat predicare, sed constanter agit in domino, cupiens & adhuc mori, si ita res fert, pro Euāgelio: sicut infra dicit, Cupiebamus impertire uobis &c. Multi hodie uolunt uideri se uocatos ad docendum, & ad predicandū, sed tentatio probabit ueritatem. Mercenarius fugit, pastor manet, ponens animam suam pro ouibus suis. Veræ uocationis indicium. ra uocatio non sinit hominē aliud agere, quàm quod dignum est euangelio. Et præterea cōstantem facit in omnibus aduersis, quæ propter Euangelium suscitantur. Scit enim sic uocatus se esse dei ministrum, & dei agere negotium: quapropter, quicquid ei accidit, nō est ei curæ: tantū agit quod commissum est, ut fidelis minister inueniatur. Omnia enim committit deo, qui cū misit, sciēs hoc qd' Christus dicit: Qui uos recipit, me recipit, uos inq̄, quos ego mitto. et, Qui uos audit, me audit: uos scilicet prædicātes quæ ego iussi, &c.

Malis afflicti, &c.

Hoc factum est apud Philippenses, expulso à foemina spiritu phitonico: quod legis Actorum 16.

Siquidem exhortatio nostra!

Hoc dicit propter pseudapostolos, qui sua querunt cum

cum deceptione auditorum, ut eos sibi faciant obnoxios, ad quod nonnunquam utuntur malis artibus per signa mendacia, quibus haectenus cōspurcati sunt omnes libri & prae-dicatores: quemadmodum futurum sub titulo perditionis praedixit Paul. 2. ad Thessa. 2. quas artes hic uocat immundiciam. Hypocrisin uero dolum uocat. Non egi, inquit, aliter cum meis socijs, quàm sicut deus nobis commisit, qui ad hoc munus apostolicum nos dignos fecit. Et ad hoc cū magna fiducia saepe appellat conscientias auditorum, ut & supra diximus.

Nocte enim ac die, &c.

Prædicatori aut doctori debetur uictus ab auditoribus secundum Euangelium, Dignus est operarius mercedē suā. Et 1. ad Timoth. 5. Qui bene praesunt presbyteri, &c. Verum Paulus ne occasionem daret pseudapostolis sua quæretes, suo etiā iure saepe cedit, labore manuum uictitabat: Deo dignus episcopus, & longe alius quàm nunc sunt episcopi, qui se gloriantur apostolorum successores. Hunc locum ut intelligas, lege totum cap. 9. episto. 1. ad Corinth.

Qui uocasset uos in regnum, &c.

Gloria dei est, qua gratis dimittit nobis peccatū per Christum, nullo nostro merito aut opere. ut non possimus gloriari, ut tota gloria maneat deo: sicut ad Rhoma. 3. Omnes peccauerūt, & egent gloria dei. de qua

ANNOT. IOANNIS POMERANI
pro-dominus
in Psal. Cæli enarrant gloriam dei.

Indefinenter, &c.

Certum est non de uerbis oris intelligi, sed de adfetu cordis, sicut cap. 1. dixit, semper: sic & de oratione dixit Christus Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere: id quod non dictum est de murmure illo oris, ut intelligūt qui interpretātur, semper, id est horis cōueniētibus: sed de desyderio cordis, qd' intelligit deus. Quādo enim aliquid desyderas à deo, aut quādo cupis à malis liberari, quādo premeris, certum est quā tandiu desyderas, & subinde etiā uel uerbis, uel suspirijs oras, donec accipias, uel libereris. In talibus ualet oratio. Desyderiū enim pauperū exaudiuit dominus; preparationē cordis eorum audiuit auris tua. Psal. 9.

Quoniam cum accepissetis sermonem à nobis, &c.

Auerte hic circulū, quod credimus, ex deo est, qui hoc ipsum agit in nobis per potentiam suam, qua suscitauit, etc. ad Ephe. 1. et hoc ipsum in deum reuertitur, nihil aliud credimus quàm deum, & in deū. Non enim humanis traditionibus & elementis mundi alligamus fidem nostram: sed deo per deum, sine quo credere nō possumus: id quod hic sic dicit Paulus, Accepistis quidem à nobis sermonem, sed non tantum uerbi fuimus ministri: cæterum idem sermo non noster, sed dei fuit.

à quo discebatis intus, secundum illud: Erunt omnes
 θεοδιδάκτοι, alioqui inanis fuisset sermo noster. Di-^{4. 6}
 scebatis inquā à deo, sed nihil aliud quàm ipsum deū:
 superstitiosi autē & seducti à pseudapostolis, & pseu-
 doprophetis. Multa sciūt, multis implicātur: sed quia
 à deo docti non sunt, deū nesciunt. Fidere enim deo nō
 possunt, qui fiduciam in alijs rebus habent.

Vos enim imitatores facti estis.

Credentes Iudæi multa patiebantur ab incredulis
 Iudæis, cæsi, incarcerati, &c. quorum et bona proscri-
 bebantur, & egestate laborabāt, ut necesse fuerit mit-
 ti ad uictum necessaria ex ecclesijs gentium ad ecclesia-
 as quæ erant in Iudæa, sicut uides ad Rhoma. 15. & 1.
 ad Corinth. 16. Huius negocij in primis curator insi-
 gnis erat Paulus, sicut dicit ad Gala. 2. Ut pauperum,
 inquit, memores effemus. quod etiam sollicitus fui hoc
 ipsum facere. Eadē iam Thessalonicēses à ciuibus suis
 passi erant, quæ Iudæi à Iudæis: id quod ad constanti-
 am fidei eorum pertinet, sicut supra dictum est. ¹⁷¹

**Qui ut & dominum occide-
 runt Iesum.**

Graviter suos accusat Iudæos. Atq; hic habes locū
 paucis indicatum, quod impij dei iudicio semper profi-
 ciunt in peius. Sicut enim diligētibus deum omnia co-
 operātur in bonum, ita impijs omnia cedunt in malū.

ANNOT. IOANNIS POMERANI

donec ira dei cōsummate ueniat super eos. Exēplo sūt Pharao, qui audit Exodi 9. In hoc ipsum excitauit te, ut ostenderem in te potentiam meam, de quo legis ad Rom. 9. Exemplo quoq; sunt, de quibus hic dicitur,

huc est quo illa partem que illi nō, p̄cipuam rōs p̄cipuā n̄s Iudæi, qui & audiūt à Christo Matth. 23. Et uos im-
plete mensuram patrum uestrorum.

Qui obsistunt nobis gentibus, &c.

Quia gentibus salutem non missam, aut mittendam stulte arbitrabantur cōtra suam ipsorum scripturam in prophetis. Mysterium hoc de salute gentium tractat ad Ephe. 2. & 3.

Cæterum nos fratres.

Adfectū suum in eos declarat, ut habeas exemplū, quod sancti etiam se uidere secundū carnem gestiunt.

Obstitit nobis satanas.

Satanas non potest nobis obsistere, nisi permissus, ut est in Iob. Impedit autem uerbum dei, ut & ipse expleat peccata sua semper, sicuti & alij impij. Impedit uero deo abutente bene eius ministerio malo, ne margarite proijciantur ante porcos, ne impij audientes, salui fiant: sicut habes Matth. 13. & Esaiæ 6. Hæc sunt iudicia dei.

Nam quæ est nostra spes.

Causam addit quare tātopere eos desyderet, qd' ipsi sint materia gloriatiōis eius, in cōspectu dei in extre-

mo etiam iudicio, qd' ei tūc licebit dicere: Domine, cca
ce quinq; talenta &c. et audire, Euge serue bone &c. *uniff 25*

CAPVT III.

Qvāta solitudine Paulus pro ecclesijs æstuaue-
rit, hæc aperiunt. Nam cum satana impediē-
te uenire non posset, misit Timotheum, non solum ut
cognosceret res eorum, uerumetiam & multo magis,
ut uerbo ipsius Timothei confirmati, non turbaren-
tur de Pauli adflictionibus; neq; si forte illic quidam a
pseudapostolis nuncijs Satanae tentati fuissent, & ab-
ducti à uia gratiæ ad confidentiam operum, reduce-
rentur. Tantum tum quoq; timebatur ille lapsus, ut
non mireris interim ista mala creuisse, quibus Christi
gratia penitus oblitterata est.

De fide nostra.

Ne quis nos iam male adflictos putet aliter sentire
quàm ante, sicut qui ad tempus credunt, & in tempo-
re tentationis recedunt. Neue quis scandalizetur,
quod ignominiam mundi sustinemus, qui gloriam dei
prædicamus: quandoquidem quod ista patimur, con-
firmatio est nostri euangelij. Tantum abest, ut quem
talia deterreant. sic ad Ephe. 3. Peto ne deficiatis ob
adflictiones meas, quas pro uobis tolero, quæ est glo-
ria uestra. Hic uero habes locum, quod Christianorū
uita in primis prædicatorū sit crux. Nostis, inquit, nos

*Puffius Florii
Sci*